Q. D. B. V.

DISPVTATIO THEOLOGICA
DE
ΜΕΤΑΣΧΗΜΑΤΙΣΜΩ SATANAE IN ANGELVM LVCIS

EX II. CORINTH. XI. 14.

QVAM
ANNVENTE
SVMME REVERENDO THEOLOGORVM LIPSIENSIVM ORDINE,
SVB PRÆSIDIO
DOMINI
D. IOHANNIS SCHMIDII, P.P.
ALVMNORVM ELECTORAL. EPHORI,
COLLEGII B. M. V. SENIORIS ET
PRAEPOSITI,
PATRONI ATQVE PRAECEPTORIS
AETERNVM VENERANDI,
IN
AVDITORIO THEOLOGICO
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
M. FRIDERICVS ERNESTVS Scholtze/
OLSNA-SIL.
AD D. II. OCT. A. AE. C. cIↄ Iↄ CCV

LITERIS JOH. ANDR. Zſchau.

28.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PRAEFATIO.



Iennium ferme praeterlapſum, cum e Cathedra Philoſophorum huius Academiae ſub Praeſidio Domini D. IO. SCHMIDII P. P. celeberrimi, *Diſſertatione quadam hiſtorica* de vſu Veſtium albarum *agerem. Diſpeſcebam tum temporis laborem meum in duas ſectiones, quarum prior* ſacrum, *poſterior autem* profanum *Veſtium harum vſum continebat. Cumque oſtenderem album in Veſtitu colorem non tantum in V. T. a Judaeis, verum etiam a paganis, imo & N. T. temporibus a Chriſtianis, quin & ab ipſis Turcis in ſacris faciundis uſurpatum fuiſſe, atque etiamnum vſurpari, eundem inter alia Vitae Integritatis, atque Innocentiae notam eſſe, hancque ob rationem tum ipſi Chriſto, tum ſanctis Angelis in ſcriptura ſacra tribui, dicebam. Et en! Lector beneuole, dum de ſpecimine quodam Theologico in hac Alma noſtra publice edendo cogito, neſcio quo fato, ſuaſu Praeceptorum atque Patronorum cum cura colendorum,* albi *ſiue* lucidi coloris *iterum quaedam mihi ſit habenda ratio.* Satanam *nimirum* Angeli Lucis figura indutum ex poſterioris ad Corinthios Epiſtolae vndecimo capite *conſiderandum habeo. Facio id eo lubentius, quo maiorem ipſa haec materia cum praeſenti tempore habet conuenientiam; facio quoque eo lubentius, quo frequentius & hodie paſſim de Viſionibus, etiamſi fictae ſint & ab hominibus otioſis plerumq́ excogitatae, gloriari ſolent, qui ſingularem prae aliis iactant ſanctitatem. Hoc autem modo in hac Exercitatione mea procedam, vt* primo *brevem Dicti Explicationem praemittam,* poſtea *vero Poriſmata quaedam ex eo fluentia deducam. Adſiſtat mihi ſummus Foederis Angelus Chriſtus Gratia ſua benigniſſima, & meum intellectum ita illuminet, vt non niſi ea proferam, quae vergere posſint in ſui Nominis Gloriam, Eccleſiaeque emolumentum!*



TEXTUS.

II. Cor. XI. 14.

Ἀυτὸς γὰρ ὁ Σατανᾶς μετασχηματίζεται εἰς Ἄγγελον Φωτός.

SECTIO I.

Philologico-Exegetica.

§. I.



Elix itaque ſub ſummi Numinis auſpicio Laboris noſtri initium facturi, varias variorum circa locum noſtrum adducere animaduerſiones nolumus, ſed quo tempori chartaeque iam parcamus, ad ſolam genuini ſenſus inueſtigationem ſine ambagibus progrediemur.

§. II. Meliori vero modo eadem vix fieri poterit, quam ſi in hac Propoſitione logica: *Satanas transfigurat ſe in Angelum Lucis*, Subiectum pariter atque Praedicatum diſtincte conſideremus, & ante oculos noſtros ponamus.

§. III. *Satanas* eſt Subiectum de quo transfiguratio quaedam noſtro in textu praedicatur. Vocem hebraeam eſſe, a Radice שטן *aduerſari, inſidias ſtruere &c.* deſcendentem, *Aduerſariumque* denotare, ſatis ſuperque notum eſt. Et licet *Suidas* (*a*) cum *Irenaeo* (*b*) & *Theodoreto* (*c*) Apoſtatam eadem ſignificari putet, nec non *Juſtinus Martyr* (*d*) eandem ex *Sata*,

qua

qua voce Apostatam designari dicit, & *Nas*, quod Vocabulum τῶ נחש, quo Serpentem Hebraei appellant, substituit, componat; priorem tamen sententiam, ob maiorem cum sacris literis conuenientiam, his posterioribus non immerito censemus esse praeferendam. *Sacharias* enim Propheta (*e*) in visione quadam ad latus Sacerdotis summi Josuae Satanam apparentem describens, expresse: *Satanas*, inquit, *prope dextram eius stabat, quo ei aduersaretur.*

(a) *In Lexico T. II. col. 719.*
(b) *L. 5. c. 21. fol. 469.*
(c) *Qu. 45. in L. 2. Reg. p. 293.* vbi tamen etiam ἀντικείμενον hac voce denotari asserit.
(d) *In Dialogo cum Tryphone p. 331.*
(e) *c. III. v. 1.*

§. IV. Nomine vero hoc in Sacris literis non modo aduersarium hominum infensissimum Diabolum, sed ipsos quoque homines Deo aliisque hominibus aduersantes venire, deprehendimus.

§. V. Ex hominum genere in V. T. erat, qui contra Regis Dauidis voluntatem Simei occisum volebat, *Abisai* (*a*) his ab eodem verbis reprehensus: *quid mihi vobiscum Filii Zeruia, cur mihi hodie vultis fieri Satanas?* Tempore N. T. autem erat qui ex incogitantia quadam Saluatori optimo resistebat, *Petrus Apostolus* (*b*) dura haec verba responsi loco ad suam de Christi ad Passionem itinere querelam ex inopinato percipere coactus: ὕπαγε ὀπίσω με σατανᾶ, σκάνδαλόν με ὅτι ὀ φρονεῖς τὰ τῦ θεῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων, *apage a me Satana, scandalum mihi es, quoniam non putas quae Dei sunt, sed quae sunt hominum.*

(a) *2. Sam. XIX. 22.*
(b) *Matth. XV. 23. Marc. VIII. 33.*

§. VI. Primario autem malis Daemonibus appellationem hancce in V. pariter atque N. T. libris multoties tribui videbis.

 Ad

Ad loca in iſtis occurrentia quod attinet, alia omittentes ad Hiſtoriam ſolummodo Jiobeam, Diabolum nobis non vna vice (*a*) ſub Satanae nomine ſiſtentem, prouocamus. In his vero tanta proſtat eorum copia, vt illorum allegationem ſuſcipere non neceſſarium eſſe iudicemus. Sufficit nunc, rationem non deeſſe, ob quam malignus hicce Spiritus ſic nominatur. Σατανᾶς προσηγορεύεται, verbis *Baſilii M.* (*b*) vtamur, διὰ τὸ ἀντικεῖσθαι τῷ ἀγαθῷ, i. e. *Satanas cognominatur, quod bono adverſetur.* Certe Deo, boni omnis Auctori, & bonis Angelis, & omnium hominum ſaluti quam maxime aduerſatur. Vnde *Petrus* dicit, *quod circumeat nos veluti Leo rugiens & quaerat quem devorare poſſit*; (*c*) & *Paulus* ait, quod ἄγγελος σατᾶν *colaphis ipſum afficiat* (*d*) vt alia loca huc ſpectantia taceamus.

(a) *C. I. v. 6. 7. 8. 9. 12. C. II. v. 1. 2. 3. 4. 6. 7.*

(b) *In Orat. quod DEVS non ſit Auctor mali p. 433.*

(c) *1. Pet. V. 8.*

(d) *2. Cor. XII. 7.*

§. VII. Et poſteriorem hanc ſignificationem in dicto praeſenti locum obtinere, extra controuerſiam eſt, ſiue Paulus Principem malorum Angelorum, ſiue quemuis alium ex malis Angelis hac voce denotauerit, cum etiam inferiores daemones Satanae nomen obtineant (*a*). Praeponitur in textu authentico pronomen demonſtrativum αὐτὸς, quod ad verba immediate praecedentia nos remittit. Agit vero in iſtis Paulus de Pſeudo-Apoſtolis, falſis operariis, in Apoſtolos Chriſti ſeſe transfigurantibus. Ne quis de eorum Transfiguratione dubitet, ſuperaddit οὐ θαυμαστὸν, ne miremini, Pſeudo-Apoſtolos ſe in Chriſti Apoſtolos transformare, nam & ipſe eorum Magiſter Satanas ſe in lucis Angelum transfigurare ſolet.

(a) *Matth. XI. 26. Marc. III. 23.*

§. VIII. Circa *Praedicatum* quod Apoſtolus in ſua Propoſitione ſequentibus verbis exprimit: μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός,

Φωτός, distincte perpendendum erit, partim quid per μεταχηματίζειν, partim quid per Ἄγγελον Φωτός intelligat.

§. IX. Μεταχηματίζειν idem est quod *transfigurare, transformare, alium habitum induere &c.* Per hoc verbum autem non mutatio quaedam φύσεως siue naturae ac substantialis, qualem multarum rerum Ouidius in elegantissimis Metamorphoseon Libris finxit: sed χήματος siue formae atque accidentalis a Paulo indicatur. Quemadmodum *idem Apostolus* quando de resurrectione & restitutione corporum nostrorum in altera Vita loquens verbo μεταχηματίζειν vtitur, *(a)* non sane transsubstantiationem, sed tantum transfigurationem quandam intelligit, vt ex alio eiusdem loco *(b)* manifeste constat; quicquid *Sociniani* *(c)* de aliis, non tantum qualitate, sed & substantia, corporibus, & *Bernhardus Connorus Medicus Angelus* *(d)* de Corporibus resuscitatorum passeribus vel muscis ratione quantitatis non absimilibus, contra garriant. Quod vero in praesenti quoque loco non transmutatio quaedam essentialis sed accidentalis innuatur, probamus (α) ex collatione, quam Apostolus inter Pseudo-Apostolorum ac ipsius Satanae mutationem instituit. Quemadmodum igitur Pseudo-Apostoli, de quibus Paulus in Versiculo, qui nostrum proxime antecedit & subsequitur, idem Verbum μεταχηματίζειν vsurpat, non in substantiam verorum Christi Apostolorum se mutare, sed illorum saltem speciem simulare solebant. Ita nec Satanas in bonorum Angelorum essentiam transmutare, sed ipsorum tantum bonitatem ac beneuolentiam erga homines mentiri amat. (β) Cum spiritus malus essentiam cum spiritibus bonis habeat communem, Satanae in Angelum Lucis mutatio mutationem essentialem neutiquam notare potest. (γ) Omnem potentiam excedit, essentiam suam in aliam transmutare. Quoniam enim impossibile prorsus est idem simul esse & non esse: impossibile quoque erit suammet essentiam in aliam plane diuersam commutare.

(a) *Phil. III, 23.*

(b) 1.

(b) *1. Cor. XV. 42. 43. 44. coll. 53. & 54.*

(c) *Vid. Scherzeri Coll. Anti-Socin. Disp. 148. p. 1194. seqq. edit primae & Calou. in Socinianism. profligato Sect. X. art. 11. Opp. Anti-Socin. Tom. 1. part. alt. p. 333.*

(d) *In Euangelio Medici Art. XIV. p. 112. Amstel. 1699. 8uo. ed.*

§. X. Per Ἄγγελον φωτός, siue *Angelum Lucis*, nihil aliud quam *spiritum creatum bonum* intelligit Apostolus. Dico primo *spiritum creatum*. Quamuis enim nomen ἀγγέλου non naturae, sed officii potius quoddam nomen sit, atque Legatum sive nuncium in genere vi etymologiae denotet, frequentissime tamen in sacro codice naturam omnis materiae expertem, quae Deum inter atque homines media est, & a supremo Numine ministri instar ad homines ablegatur, denotare solet. Vnde *Ambrosius* (*a*) de tali natura loquens, inquid: *quaeris huius Naturae nomen? spiritus est. Quaeris officium? Angelus.* Ex eo *quod est, est spiritus, ex eo quod agit,* Angelus: *quia Angelus graece, nuncius latine dicitur.* Cui prorsus gemina habet *Augustinus* (*b*) dicens: Angelus *officii nomen est, non naturae. Quaeris nomen huius naturae, spiritus est: quaeris officium* Angelus *est. Ex eo quod est, spiritus est: ex eo quod agit*, Angelus. Dico secundo spiritum creatum *bonum*. De tali enim Apostolo sermonem esse, ex voce τοῦ φωτὸς vocabulo τοῦ ἀγγέλου adiecta satis manifeste patet. Cur autem Angeli boni lucis Angeli vocentur, porro dispiciendum erit.

(a) *Super Cap. I. Epist. ad Hebr. f. m. 426.*

(b) *In Ps. CIII. Opp. T. VIII. f. m. 1182. Add. eundem de Civ. DEI L. 15. c. 23. Opp. T. V. f. m. 849.*

§. XI. In duas potissimum circa hanc bonorum Angelorum appellationem partes Commentatores abire videbis. Sunt, qui ab aliena, cuius adspectu constantissime fruuntur, luce, DEO scilicet, eam deducunt; sunt etiam, qui ob lucem propriam eosdem sic nominari malunt, DEVM *lucem* (*a*) imo *Patrem Lu-*

minum

minum (*b*) esse, nemo nescit, quemadmodum etiam ratio huius denominationis in propatulo est. *Lux* enim propriissime sumitur pro qualitate illa omnium nobilissima, quae orbem illustrat, (*c*) & ab hac DEVS ob perfectissimam, quam habet, essentiam improprie *Lux* vocatur (*d*); quamuis summus Theologus *B. Dannhauerus* (*e*) Lucem *proprie & primo, minimeque figurate* de DEO dici iudicet. Cum itaque Angeli boni faciem Patris coelestis semper videant, (*f*) *Angelos Lucis*, h. e. Angelos DEI eos vocari, quidam volunt (*g*). Alii (*h*) vero per *Lucem* iisdem attributam sanctitatem, qua gaudent, omnium foedae labis tenebrarum expertem, ob quam etiam *Stellae matutinae*, (*i*) ὑπερουράνια φῶτα (*k*) *supra coelestia lumina*, δεύτερον φῶς, τοῦ πρώτου φωτὸς (Θεοῦ) ἀπορροή τις ἢ μετουσία, τῇ πρὸς αὐτὸν νεύσει καὶ ὑπουργίᾳ τὸν φωτισμὸν ἔχουσα (*l*) h. e. *secundum Lumen, primi illius Luminis, (DEI) defluxus quidam ac dependentia, cuius intuitu & ministerio splendorem obtinet*, nominari solent, intelligunt. Quam tamen sententiam vtramque optime secum stare posse iudicamus, cum bonus & sanctus Angelus Angelus DEI quoque sit dicendus.

(a) *1. Joh. I. 5.*
(b) *Jac. I. 17.*
(c) *Vid. Suidas in Lexico Tom. II. fol. 1083. & Suicerus in Thes. Eccles. Tom. II. col. 1479.*
(d) *Vid. Suicer. c. l. col. 1480.*
(e) *Hodos. Ph. 3. p. m. 190. & p. 246.*
(f) *Matth. XVIII. 10.*
(g) *Vid. Theophylact. Comm. in h. l. fol. 411. Edit. Lond. Chrysost. ad h. l. Homil. XXIV. Opp. Tom. V. fol. 719. Beza in h. l. fol. 540. Edit. Cantabrig. 1640. Piscator in Bibliis suis germanicis Bernae editis & in Comm. ad h. l. fol. 573. Coccejus ad h. l. Opp. Tom. IV. fol. 255. Schlichtingius ad h. l. fol. 173.*
(h) *Corn. a Lapide ad h. l. fol. 413. Frommondus ad h. l. Opp. P. 1. fol. 182. & alii.*
(i) *Job. XXXVIII. 7.*

(k) Ita vocantur a *Dionysio Areopagita c. 2. de div. Nominibus.*

(l) *Greg. Nazianz. Orat. XL. p. 639.*

§. XII. Ex ista autem bonorum Angelorum appellatione pro creatione Angelorum cum *Luce primigenia* leue admodum argumentum a *Maresio* (*a*) depromi potuisse, firmiter nobis persuademus, quamuis non inducamur ad id illatione, quam magni nominis Theologus e Maresii probatione elicit, urgens, si procederet argumentum, *Angelos* conditos cum *luce primigenia*, quoniam vocantur *Angeli Lucis* : secuturum esse, quod *satanas* cum *primis tenebris* conditus sit, quia *Princeps tenebrarum* nominatur. Maresius enim de facili excipiet, istam illationem non procedere, partim, quod *Lux* quidem, neutiquam autem *tenebrae* a DEO conditae fuerint: partim quod Satanas, cum DEVS eum crearit, non *princeps tenebrarum*, sed *Angelus Lucis* quoque fuerit, ac per apostasiam a Numine supremo ex *Angelo Lucis* ipse se demum *principem tenebrarum* fecerit.

(a) *In Hydra Socinianismi expugnata Tom. I. L. 2. c. 694.*

§. XIII. Sub nomine *Angelorum Lucis*, per quos bonos Angelos ab Apostolo denotatos fuisse hactenus ostendimus, insignis olim ac immortalis famae Theologus *B. Balduinus*, pios homines quoque ac ipsum DEI Filium intelligit. Sic enim expresse scribit: (*a*) *Vbi hoc praemittimus, quod Angeli Lucis sint, vel spirituales illae naturae ad seruitutem fidelium emissae, & in perpetua luce Patris coelestis habitantes: vel pii homines, quos scriptura filios Lucis appellat,* (*b*) *vel denique ipse DEI Filius, Angelus ille magni Consilii & Lux Mundi.*

(a) *Comm. in h. l. f. m. 718. sq.*

(b) *Luc. XVI. 8.*

§. XIV. Ast quo minus in laudati Theologi concedamus sententiam, non vna videtur suadere ratio. Vrget nos *primo*, ne vnum ex vniuersa Scriptura sacra adduci posse locum, in quo sub *Angeli* nomine *Angelus proprie talis & pius homo, Angelus creatus*

& Angelus Creator insimul notetur. *Secundo*, cum per *Satanam* spiritus finitus malus tantum hic intelligatur, vero consentaneum videtur, per *Angelum Lucis*, qui eidem opponitur, spiritum finitum bonum tantummodo hic intellectum iri. *Tertio*, quia, *si pium hominem* per *Angelum Lucis* intelligere vellemus, inepta admodum analysis emergeret. Etenim Paulus in versu nostrum antecedente dicit, Pseudo-Apostolos transfigurare se in Apostolos Christi; ac dein in nostro versu pergit dicere, id non mirum esse, cum ipse Satanas transfiguret se in *Angelum Lucis*: iam si per *Angelum Lucis* intelligatur *pius homo*, necessario horum verborum iste sensus emergit: nolite mirari, quod Pseudo-Apostoli transfigurent se in Apostolos Christi, cum & Satanas *in pium hominem* se transfigurare soleat, quasi Christi Apostolus non item esset *pius homo*. *Quarto*, si hic etiam de *Christo* Paulus agere intendisset, tum dicturus fuisset: Satanas se transfigurat in *Angelum Lucis, imo in ipsum Christum*, sicuti ad Galatas scribit: *(a) vt Angelum DEI me suscepistis, imo vt ipsum Christum.*

(a) *C. IV. v. 14.*

§. XV. Neque ex eo, quod pii homines apud Euangelistam *Lucam (a)* appellantur *Filii Lucis*, cum *B. Balduino* colligere licet, pios homines quoque per *Angelos Lucis* significari; Quilibet enim de facili videt, a denominatione *filii Lucis* ad denominationem *Angeli Lucis* non valere consequentiam. Per *filios* enim *Lucis*, bene annotante *Gerhardo (b) Lucas intelligit Christianos, qui per Spiritum sanctum & Baptisma DEO renati sunt in filios. Et hi titulum hunc non habent a natura, sed per Regenerationem, a DEO Patre, qui est Pater Luminum (c) & a Deo Filio, qui est Lux Mundi & illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, (d) & a spiritu sancto, qui quoq; est spiritus Lucis & non tenebrarum.* Angeli autem boni titulum *Angelorum Lucis* non per Regenerationem, sed a natura, vtpote in sanctitate & Iustitia a DEO conditi, habent; ac praeterea ita di-

 cuntur,

cuntur, quod in perpetua *Luce* Patris coelestis habitant, vti supra (*e*) *iam* ostensum fuit.

(a) *C. XV. v. 8. conf. Eph. V. 8.*
(b) *In Harmon. Euangel. c. 122. p. 1305.*
(c) *Jac. I. 17.*
(d) *Joh. I. 9.*
(e) *§. XI.*

§. XVI. Quamuis etiam satis constet, Filium DEI in scriptura sacra Angelum, modo cum apposito, v. g. *Angelum magni Consilii*, (*a*) *Angelum foederis* (*b*), modo sine apposito & simpliciter *Angelum* (*c*) nuncupari, quoniam per illum ceu nuncium quendam Pater coelestis locutus est ad Patriarchas V. T. (*d*) eundemque in plenitudine temporis misit in carnem (*e*); nec ignotum sit, Filium DEI *Lucis* nomine passim in scriptura sacra decorari, idque *partim* propter aeternam generationem, qua est Θεὸς ἐκ Θεοῦ Φῶς ἐκ φωτός *DEVS de DEO & Lumen de Lumine* (*f*), & ἀπαύγασμα τῆς δόξης, *seu splendor Gloriae DEI Patris* (*g*); *partim* propter varia quae edit effecta, διά τε τὸ πλάνης ἀπαλλάττειν, καὶ τὸ νοητὸν σκότος λύειν, *& quia ab errore liberat, & quia discutit spirituales tenebras* (*h*); non tamen inde sequitur, per *Angelum Lucis* ipsum quoque DEI Filium denotari. Nam ab attributione vocum quarundam separatim vsurpatarum ad attributionem earundem conjunctim sumtarum non valet consequentia. Quemadmodum Spiritus Sancti vocibus tertia Diuinitatis Persona tantum in sacro Codice aliisque scriptis innui solet, etsi duo illa Vocabula separatim sumta, primae & secundae personae alias quoque tribuantur. Insuper, si ex eo, quod Filius DEI *Angelus & Lux Mundi* in Sacris Literis dicitur, inferre licet, quod per *Angelum Lucis* ipse Filius DEI in nostro textu intelligatur, pari ratione licebit concludere, quod Apostolus Christi quoque per *Angelum Lucis* in eodem intelligi debeat, cum Apostolis Angelorum nomen optime competat, quandoquidem vtraque vox a mittendo dicitur; atque ipsis

Ec-

Ecclesiae Ministris, v. g. Johanni Baptistae (*i*) Episcopis Ecclesiarum Ephesinae, Smyrnensis, Pergamensis, Thyatirensis, Sardensis, Philadelphiensis, Lacodicensis (*k*) in Scripturis expresse tribuatur: diserte etiam Apostoli apud *Matthaeum* (*l*) φῶς τοῦ κόσμου, *Lux Mundi* nuncupentur, licet non eo sensu, quo Saluator, vera illa Lux (*m*): hoc enim sensu ipse Johannes Baptista, maior omnibus natis ex mulieribus, *Lux* esse negatur (*n*); Sed quoniam sunt λύχνοι καιόμενοι καὶ φαίνοντες, *Lucernae ardentes & lucentes* (*o*); *Luminaria illuminata & illuminantia, a vera Luce illuminata & accensa, vt Luce Doctrinae coelestis illustrent*, οὐκ ἔθνος ἕν, ἀλλὰ τὸν κόσμον, vt Theophylactus loquitur: (*p*) *non vnam gentem, sed mundum; & vt luce sua luceant coram hominibus, quo bona eorum opera videant*; (*q*) non posse tamen per *Angelum Lucis* Apostolum Christi hic loci intelligi, manifesto inde elucet, quod transfiguratio Pseudo-Apostolorum cum transfiguratione Satanae sic ex parte coincideret, quam vero ut diuersam illi opponit.

(a) *Esa. IX. 5. iuxta versionem LXX. Interpretum*, qui hebraeum יוֹעֵץ Consiliarium, transtulerunt, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, magni consilii Angelus. Ad quam versionem procul dubio respexit *B. Balduinus*, cum in textu authentico V. ac N. T. nullibi alias Filius DEI ita vocetur.

(b) *Malach. III. 1.*

(c) *Gen. XVI. 7. XXII. 11. XXXII. 24. Os. XII. 3. &c.*

(d) Quod contra Papistas, Socinianos, Remonstrantes, Caluinianos quosdam ac Nouatores, qui negant τὸν λόγον vnquam in V. T. apparuisse, vbique Angelum creatum DEI vices gessisse, statuentes, prolixe demonstratum dedit *B. Calouius in system. Tom. IV. cap. 2. qu. 8. Add. B. Kipping. in Auctariis ad Histor. Eccl. D. Pappi Diatribe 3. §. 16. sq. p. m. 267. sqq.*

(e) *Gal. IV. 4.*

(f) *Juxta Symbolum Nicenum. Conf. Cyrillum Alexandrinum in Thesauro suo assert. 4. p. 21.*

(g) *Ebr. I. 3.*

(h) *Theophylact. in Joh. XII. f. m. 748.*

(i) *Malach. III. 1. Matth. XI. 10. Luc. VII. 27.*
(k) *Apocal. II. 1. 8. 12. 18. III. 7. 14.*
(l) *C. V. v. 14.*
(m) *Joh. I. 9.*
(n) *Joh. I. 8.*
(o) *Joh. V. 35.*
(p) *Ad Matth. V. 16. fol. 28.*
(q) *Matth. IV. 16.*

§. XVII. Vlterius iam dispiciendum, quomodo *accidentalis* ista Satanae in Angelum Lucis fiat transfiguratio.

§. XVIII. Fit autem eadem, non vera ac reali malitiae Satanicae in bonitatem Angelicam commutatione, cum daemon ita in malo sit obduratus, vt nec ad breue tempus habitum malitiae suae prorsus exuere, & loco illius virtutis habitum induere possit, Vnde etiam καὶ' ἐξοχὴν in scriptura Sacra (*a*) ὁ πονηρὸς vocatur.

(a) *vid. Matth. XIII. v. 19. & 1. Joh. V. 18.*

§. XIX. Neque contingit eadem transfiguratio propriae boni Angeli formae assumtione. Etenim cum Angeli natura sua sint incorporei, nullam proprie dictam formam & figuram, vtpote quae solis corporibus competit, habere queunt. Non defuerunt equidem omni tempore tum ex paganis, (*a*) tum ex Judaeis veteribus, (*b*) tum ex Christianis, iisque partim priscis (*c*) partim recentioribus, heterodoxis (*d*) iuxta ac orthodoxis (*e*) qui Angelis corpora quaedam, licet λεπτὰ siue tenuia, adscripserunt: sed cum illa Sententia a Theologis nostris iam diu profligata fuerit, (*f*) non est, vt in illa refutanda iam desudemus.

(a) *Vid. Kippingium in Institut. Pneumat. L. 2. cap. 1. §. 5. p. 95. sq.* vbi ad antiquissimos Philosophos, Orpheum, Pythagoram, Platonem, Democritum, Jamblichum, Porphyrium, Plotinum, Apuleium prouocat, iisdemque Philoponum, Ammonium, Aphrodisaeum, Themistium, celebres Peripati interpretes accedere obseruat.

(b) *Vid. Grotium Annot. ad V. T. Ps. CIV. 4. & in Voto pro pace ecclesiastica. Add. Hackspanium Syllog. 8. p. 237. --- 240.*

(c) *Theo-*

(c) *Theognostus Alexandrinus in Biblioth. Photii Cod. CVI. fol. 280. Macarius Aegyptius Homil. IV. p. 47. Caesarius Dial. I. Interrogat. 48. Origenes L. 2. περὶ ἀρχῶν c 2. Tertullianus de Carne Christi c. 6. citante Suicero c. l. Tom. I. f. 36. seqq.* Addimus nos *Augustinum de Genesi ad Litt. L. II. c. 17. Opp. Tom. III. f. m. 527. L. III. c. 10. fol. 532. L. XI. c. 13. f. 662. de Civ. DEI L. VIII. c. 15. f. m. 468. & Lactantium Diuin. Instit. L. 2. c. 15. f. m 53. Edit. Caesenensis.*

(d) *Vid. B. Calou. in system. Tom. IV. p. 35. vbi ex Reformatis* Hieron. Zanchium, Rudolph. Goclenium, Gerh. Joh. Vossium, Ludouicum de Dieu, Bucanum; e *Pontificiis* Caietanum, cui nos adiungimus Caelium Rhodiginum Ant. Lect. L. 2. cap. 5. col. 59. sq. e *Remonstrantibus* Hugonem Grotium adducit.

(e) Vid. Kipping. c. l. p. 96. sq.

(f) *Vid. Gerhard. in Disp. Isagog. Disp.* XI. *c. 3. §. 1. seqq. Calov. Syst. T. IV. c. 1. qu. 1. & 19. aliique.*

§. XX. Sed Transfigurationem istam fieri putamus, quando Satanas *vel* sub quodam Corpore, *vel* absque externa corporis figura semet Angelum Lucis mentitur.

§. XXI. Quando sub quodam Corpore semet Angelum Lucis simulat, tunc illud corpus *vel* de nouo format, formatumque sibi accidentaliter vnit; *vel* aliunde corpus quoddam assumit, eidemque παραστατικῶς adsistit.

§. XXII. Corpus quod de nouo sibi fabricat Daemon, vt in illo appareat, atque Angelum Lucis sese simulet, non ex nihilo producit, quia solius DEI est, ex nihilo corpus aliquod formare: sed illud, iuxta communem eruditorum sententiam, aere crassiori compingit, celerrime ad determinatam aliquam speciem figurat, & colorem debitum per certam luminis cum opaco mixturam producit. *(a)*

(a) *Vid. D. Jo. Christianum Frommannum in Tractatu de Fascinatione Lib. 3. part. 6 cap. 6. §. 2. p. 782.*

§. XXIII. Hoc Corpus quoad externam formam non raro cum corpore lucido, in quo Angelos bonos plerumque apparere nonnulli *(a)* asserunt, conuenire legimus.

(a) *Vid.*

(a) *Vid. Erasm. Schmidius Animadvers. in N. T ad h. l. fol. 1136. Frommondus in c. X. Act. Apost. v. 30. fol. 631. b. & Georgii Ambianatis Trina Pauli Theologia Tom. II. fol. 434. b.*

§. XXIV. Sic Diabolus in forma *boni Angeli* apparuisse scribitur apud *Sulpitium Seuerum* (*a*) Anatolio cuidam adolescenti. „Hic sub monastica humilitate aliquandiu latens, „Angelos apud se loqui dicere solebat, & ad credendum hoc si„gnis quibusdam plerosque hortabatur. Inter caetera signa „erat vestis, qua se a Deo indutum dicebat, eamque a Claro & Sab„batio aliisque fratribus adhibito lumine diligenter adspectam „tactamque summa mollitie, candore eximio, micanti purpura, „nec tamen, cuius essent velleris, poterant agnoscere: nihil ta„men aliud quam vestem esse, videbant omnes. Rem ad Mar„tinum referre volebant: renuebat Adolescens, sibi id interdi„ctum esse, indicans: sed cum inuitum ire compellerent, inter „trahentium manus vestis euanuit.

(a) *In Vita B. Martini p. 516. Edit. Georg. Hornii Lugd. B. 1654. 8vo.*

§. XXV. Simili modo daemon boni Angeli specie, si *Cornelio a Lapide* (*a*) fides habenda, decipere conatus fuit *S. Abrahamum Eremitam.* Cum enim media nocte psalleret, Lux instar solis in cella eius refulsit, & vox audita est, dicens: *Beatus Abraham, nullusque tui similis, qui omnes voluntates meas explesti.* Sed vir humilis agnoscens dolum diaboli, exclamauit: *Obscuritas tua tecum sit in perditionem, o plene dolo atque fallacia! ego enim homo peccator sum: sed nomen Domini mei JESU CHRISTI, quem dilexi & diligo, mihi murus est, in quo te increpo, immunde canis.* Et mox vt fumus ab oculis eius euanuit. Nec non *Simonem Styliten*, cui, narrante itidem *Corn. a Lapide*, (*b*) fulgens in splendore cum equis igneis & quasi currus igneus apparuit dicens: *Dominus misit me Angelum suum, vt rapiam te sicut rapui Eliam. Ascende ergo mecum in currum & eamus in coelos, optant te videre sancti Angeli, Apostoli, Martyres & Prophetae cum*

Maria Matre Domini. Cumque Simon, eleuans dextrum pedem vt aſcenderet in currum faceret ſignum Crucis, mox Daemon diſparuit. Quemadmodum etiam *Valentem Monachum* iam citatus autor (*c*) adeo ab iſto creberrime ſub Angeli ſpecie apparente deceptum fuiſſe tradit, vt ſuperbia intumuerit, quaſi cum Angelis verſaretur.

(a) *Comm. in h. l. fol 417.*

(b) *c. l.* (c) *c. l. f. 418.*

§. XXVI. Eodem procul dubio etiam vſus fuit integumento Satanas in ſeducendo Carolo Ludouici Regis Germaniae filio. Placet integram hiſtoriam, vti *Wolffius* (*a*) eam enarrat huc transſcribere: „Quondam tempore Germanorum Rex Lu„douicus (teſte Eginaldi hiſtoria) conturbatus fuit acerbe a „filiis ſuis, quorum tres fuerunt numero, Ludouicus iunior, Caro„lus, poſtmodum cognominatus craſſus & factus Imperator, & „Carolomannus, qui fuit Pater Arnulphi, poſtea facti Imperatoris. „Nam Ludouicus & Carolus maximo odio flagrabant & inuidia „aduerſus fratrem ſuum Carolomannum, & pluribus in rebus „erant inobedientes & prauas moliebantur machinas contra Pa„trem, eo quod ipſis videbatur, ipſum ſemper eis alterum prae„ferre, ſe autem exhaereditatum iri metuentes. Et aliquando „die quadam, quando dictus Ludouicus Rex Germaniae fuit „Francofurti cum ſuis duobus filiis, Ludouico & Carolo, Diabo„lus in forma Angeli cuiusdam apparuit dicto Carolo, & dixit „ei, quod parens ei intentaret & pararet mortem, vt poſſit prae„ferre & euehere ad Regni faſtigia fratrem eius Carolomannum; „& de hoc facto DEVM valde iraſci & offendi grauiſſime: con„ſtituiſſe enim DEVM dare Imperii poteſtatem Carolo. His „verbis Carolus totus fuit attonitus, & ex pauore aufugit in tem„plum loco illi proximum. At Diabolus eodem ſubſequitur „eum, & dicit illi: cur timidus es tu & fugis? cogitas tu, quod „ſi verba mea non eſſent ex DEO, in hoc ingreſſus eſſem tem-

„plum ? Igitur credas mihi, velim, & recipe ſacramentum Domi-
„ni ex manibus his (offerebat ei formam hoſtiae cuiusdam) meis.
„Verum quid fit? continuo ingreſſus eſt in eum Diabolus, & ob-
„ſedit corpus ipſius, & incepit clamare, & boare horrendum Dia-
„bolo vexante. Ex hoc igitur Pater eius & vniuerſa Nobilitas
„fuit maximopere perturbata & perterrefacta, & curauerunt can-
„tare Miſſam, eo praeſente: hac durante, interea ipſe, praeſertim
„vero cum cantaretur Euangelium, clamauit horribiliter, alta vo-
„ce confiteri coepit, hoc infortunium ſuperueniſſe ei eo, quod
„conſpirauerit contra Patrem ſuum. Poſt Miſſam Parens eius
„Ludouicus emiſit quaeſitum Sacerdotes, Epiſcopos, Paſtores re-
„ligioſos & ſanctos, & qui pietatis haberent nomen, vt orarent ad
„DEVM pro filio ſuo, horumque etiam precibus fuit ab hoc tan-
„dem malo liberatus.

(a) *Lection. memorabilium Centur. XVI. f. m. 308. Edit. ſecundae Francof. ad Moenum 1671.*

§. XXVII. Quod etiam Satanas in corpore non a ſe fabricato, ſed aliunde aſſumto multoties ſe *Angelum Lucis* ſimularit, quamplurimis exemplis ex hiſtoria eccleſiaſtica pariter atque profana (*a*) luculenter demonſtrari poſſet: ſed miſſis iis, ex hiſtoria ſacra vnum ſaltem, idque illuſtre admodum exemplum, ad quod plurimi interpretes (*b*) in explicatione loci noſtri prouocant, imo ad quod ipſe Paulus in conſcribendo praeſenti textu *B. Balduino* (*c*) reſpexiſſe videtur, in medium adducamus. In ipſo Paradiſo nimirum artis huius veteratoriae primum ſpecimen edidit Satanas, dum ſerpentis naturalis corpus ſibi vniuit, atque, vt cum *Cocceio* (*d*) loquar, *primam matrem adiit tanquam legatus DEI, qui mentem DEI aperiret circa medium facillimum, velut comparatum ad maximum eius bonum.* Vnde ex noſtris Theologis *B. Dannhauerus* (*e*) in ea opinione eſt, quod ipſa Eua probarit Satanae verbum *perſuaſa* inter alia *opinione diuinitatis illius, qua prius,* (ſcilicet Dei) *verbum correctum reuocetur, ac per Angelum bo-*

num in ſerpente tanquam oraculo loquentem, reueletur. Qui tamen ſummus vir non adeo ſibi conſtare videtur, quando alio in loco (*f*) expreſſe ſcribit: *Eua ſeducta eſt poſtquam a DEO defecit, ſed prius decepta non fuit, non ignara ſpiritum ſubeſſe qui loqueretur, quamuis bonus eſſet an malus? non ſtatim ſciuerit.*

(a) *Vid. Remigius in Daemonolatria. Io. Wierus de Praeſtigiis Daemonum & incantationibus ac veneficiis, Del-Rio in Diſquiſitionibus Magicis, aliique paſſim.*

(b) *Vid. B. Selneccerus ad h. l. fol. 928. B. Aegid. Hunnius ad h. l. fol. 260. B. Weinrichius ad h. l. p. 448. Bullingerus ad h. l. fol. 232. Aretius ad h. l. fol. 357. Edit. Genev. 1618. Cocceius ad h. l. Oper. Tom. IV. fol. 255.*

(c) *Vid. B. Balduinus ad h. l. fol. 713.*

(d) *c. l.*

(e) *In Hodoſ. ph. IV. p. m. 340.*

(f) *c. l. ph. V. p. m. 432.*

§. XXVIII. Nos in medio relinquimus, vtrum Eua perſuaſa fuerit per ſerpentem Angelum Lucis ſecum loqui: nobis tamen cum *B. Scherzero* (*a*) firmiter perſuademus, ex eo Satanam, quod in ſeducenda Eua ſerpente ceu inſtrumento quodam vſus fuerit, in Scriptura Sacra modo ſerpentem ſimpliciter, (*b*) modo, propter varias μεθοδίας, oblongum ac tortuoſum ſerpentem (*c*) modo ſerpentem antiquum (*d*) nominari.

(a) *In Syſtem Theol. Loc. VII. §. IV. p. m. 142.*

(b) *2. Cor. XI. 3.*

(c) *Eſ. XXVII. 1.*

(d) *Apoc. XII. 9. XX. 2.*

§. XXIX. Videamus tandem quomodo Satanas absque omni corporis ſpecie ſe pro Angelo Lucis gerat. Facere hoc videtur, quando *inuiſibili* quodam modo Phantaſiae hominum illudit, ac optima quaeque eidem ſuggerit, quo per ea ad peſſima ſeducat. Non diuidiae erit quaedam ex *Gerſonii libello de diuer-*

ſis diaboli tentationibus (a) ad hanc rem illuſtrandam in medium afferre, quae licet non ſtyli elegantia ac puritate, rei tamen veritate ſe ſatis commendant. „Hortatur nonnunquam hoſtis aggre-
„di alta quaedam & difficilia virtutum opera, ſicut immoderata
„ieiunia, peregrinationes maximas, vel ſimile quodcunque, ſiue vt
„homo ſuccumbat oneri, neque vllo pacto ipſum ferre valeat, ſiue
„vt ex ipſo ſequatur deterius aliud, pura ex immoderatione ieiunii
„cerebri vacuitas, melancholia, triſtitia &c. ---- Nonnunquam
„ingentem mirabilemque dulcedinem in modum & ſimilitudi-
„nem deuotionis inducit, vt in huiusmodi ſuauitate hominis tota
„conquieſcat fruitio, neque DEVM amare, neque ob aliud ſibi
„obſequi velit, niſi ſolum vt hoc potiatur. ---- Nonnunquam
„admonet, vt quis hominum in conſpectu ſeſe vituperet, vel
„etiam delicta quaedam committat & perpetret, vt ſe indicet, nec
„fictum eſſe, nec hypocritam. Quod profecto in grande ma-
„lum ab hoſte ſuggeritur. Nam qer huiusmodi quae hic aduerſus
„ſuam gloriam dicere agereque videtur, aliquando in eum maior
„irrepit ſuperbia, vult quippe hoc pacto verax haberi & reputari
„is, qui ſuam laudem minime quaerat, quam tamen ſuo in ani-
„mo flagrantiſſime cupit. Ita autem eſſe, agnoſci comperique
„poteſt, cum ea ipſa, quae is de ſe indigna dicit, alius quoque aſ-
„ſerit & teſtatur. Nam id & moleſte fert, & ſeſe tunc excuſat &
„commendat. ----- Nonnunquam ſub praetextu ſubueniendi
„pauperibus, aut inſtituendi eccleſias, aut in vltimis annis ſecuri-
„tatem habendi, agit hoſtis, vt quis in auaritiam labatur, vel frau-
„dulentae negotiationi intendat, vel emendo vendendoque com-
„mittat periuria. ---- Nonnunquam ſub praetextu fugiendae
„ſingularitatis & obſeruandi mores aliorum vel alicuius ſimilis
„boni ſuadet hoſtis, vt quis plus veſcatur aut bibat quam ſibi con-
„ueniens eſt. Et pariformiter eſt de veſtitu & huiusmodi rebus.
„ ---- Nonnunquam ſub velamento ſanctitatis & deuotionis in

per-

„personas religiosas spiritualis amicitiae agit hostis, vt ex consuetu-
„dine intuendi, loquendi, epulandi, simul ridendi, mutuo sese io-
„cose tangendi, vertatur spiritualis amor in libidinosum carnalem-
„que amorem, & demum in finem ignominiosissimum. -----
„Nonnunquam in bono opere grandem acediam & tristitiam
„permagnam immittit, suadens, tunc in delectatione seculi con-
„solationem quaerendam. Ex quo duo mala eueniunt: partim
„quod quis quam facillime in stultiloquia & peccata incidat; par-
„tim quod illius acedia hoc pacto non sanetur, sed magis magis-
„que nutriatur ac crescat, & licet ad tempus ab ea liberetur, ta-
„men postmodum redeat longe validior. ---- Nonnunquam
„sub humilitatis specie & sese custodiendi, facit, vt quis sileat ex
„contemtu, iracundia, superbia, vel cum loqui deberet, ex vecordi
„pusillanimique metu reticeat. ---- Nonnunquam agit hostis,
„vt sancta intentione quis loqui incipiens, continuando sermo-
„nem ad plura defluat inordinate dicendo, quod euenit, vel
„quia is loquendo commouetur irasciturque, vel quia suam glo-
„riam quaerit, vel quia erubescit & verecundatur nisi audientibus
„admirationem ingerat, subtile aliquod, extraneum, nouum, in-
„auditum dicendo.

(a) *Opp. Paris. 1606. in fol. edit. Tom. III. col. 415. seqq.*

SECTIO II.
PORISMATICA.
PORISMA I.
Dantur Angeli.

PEr *Angelos* secundum superius dicta (*a*) intelligimus naturas omnis materiae expertes, quae DEVM inter atque homines mediae sunt, & ad complendum aliquod totum per se non

non ordinantur. Has quidem tantum abest vt ex Lumine naturae apodictice demonstrare conemur, vt potius eosdem qui hoc facere nituntur, quorum non paucos tum e Pontificiis (*b*), tum e Reformatis (*c*), tum etiam ex ipsis nostratibus (*d*) scimus, incassum laborare censeamus (*e*). Scripturam sacram vero si adeamus, haut pauca existentiam Angelorum probantia loca reperimus. Insignis prae ceteris est praesens, quem modo exposuimus, Paulinus, in quo expresse Apostolus τῶ ἀγγέλω mentionem iniicit. Addimus vero illi adhuc alium *Dauidis* scribentis: (*f*) *qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos ignem flammarum*; vbi *partim* causam Angelorum efficientem, Iehouam, *partim* etiam eorum naturam excellentem, secundum quam sunt ventorum instar celeres, instarque flammae ignis summa subtilitate, actiuitate, claritate, puritate, sanctitate, &c. praediti, indigitat. Et quid clarius esse posset ipsius nostri *Apostoli* verbis alibi (*g*) allatis: *nonne omnes sunt administratorii spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos, qui haeredes erunt salutis?* Vt longe plurimas Angelorum apparitiones de eorum Existentia satis superque testantes, quarum inferius (*h*) habenda nobis erit ratio, nunc taceamus. Non defuere tamen, quod sane mireris, qui Angelos existere sibi persuadere non potuerunt, vel potius non voluerunt. Fuerunt isti *Sadducaei* (*i*) Angelos dari negantes, a quibus tamen non simpliciter Angelorum existentiam, sed illorum saltim durationem negatam fuisse, contra communem Theologorum nostratium sententiam *B. Kippingius* (*k*) iudicat; nonnulli hodiernorum *Judaeorum* (*l*) qui putant Angelos esse tantum qualitates a DEO productas in eius imaginatione, penes quem secreta aliqua enunciare velit; *Manichaei* (*m*) pro motibus laetis aut tristibus eos habentes; *Dositheus* (*n*) nullum aliud Daemonum genus quam idola seu simulacra agnoscens; *Anabaptistae* (*o*) peculiares creaturas esse quae Angeli vocentur inficiantes,

quos

quos tamen ab hoc errore supra citatus *B. Kippingius* (*p*) iterum liberare conatur; *Libertini* (*q*) eandem cum Anabaptistis opinionem fouentes; *Quakeri* nonnulli (*r*) existentiam Angelorum itidem in dubium vocantes; *Dauid Georgius* (*s*) qui Angelos cum mentis humanae cogitationibus & inspirationibus vel bonis vel malis confundit; *Hobbesius* (*t*) bonos Angelos spiritus permanentes esse inficians, malos vero existere negans; & *Hermannus Rysvvich Batauus* (*u*); quamuis hic non tam ipsam Angelorum existentiam, quam quod ipsi a DEO conditi sint, negarit. Potissimum quo nituntur argumentum in eo consistit, quod Moses historiam Creationis tradens omnesque creaturas describens, ne verbo quidem Angelorum mentionem faciat,(*x*) quod tamen, si a Deo quidem creati fuissent, fecisse putant. Respondemus vero (1.) Mosen non inuisibilium, sed visibilium tantum Creaturarum in loco citato mentionem facere voluisse; (2.) alibi in scriptura sacra Creationem eorum satis luculenter descriptam haberi. En! Pauli verba clarissima: (*y*) *Per eum* (CHRISTVM) *omnia creata sunt quae in coelo & quae in terra sunt, visibilia & inuisibilia, Throni, & Dominationes, & Principatus & Magistratus, omnia per eum & in eo creata sunt.*

(a) *Sect. I. §. X.*

(b) *Suarez Disp. Metaph. 35. Sect. I. Vasquez Disp. 178. c. 1. Bannez part. I. qu. 50. a. 1. Marsilius in 2. q. 2. a. 1. concl. 1. Philippus a S. Trinitate part. 3. Summae Phil. q. 21. de Angel. art. 1.*

(c) *Vossius Theol. Gentil. L. 1. c. 6. p. m. 41. sqq. Zanchius L. 2. de oper. Creat. c. 2. cit. Voët. Disp. select. part. V. problem. de Angel. part. I. p. m. 242.*

(d) *B. Scharffius Pneum. L. 3. c. 2. p. m. 155. B. Scheiblerus Metaph. L. 2. c. 4. tit. 1. art. 2. p. m. 133. B. Jac. Martin. Exerc. Met. L. 2. Ex. 3. theor. 1. p. m. 537. B. Corn. Martini Comp. Theol. f. m. 161. Meierus in Pneum. part. spec. L. 2. c. 2. p. m. 615. M. Henric. Nicolai in Michaël. f. 3. M. I. Witte Disp. Witteb. hab. A. 1666. § 2.*

(e) *Vid. Disp. Dn. Praesidis de Angelis ex Principiis Philosophicis non*

de

demonstrabilibus Sect. II. hab. pro Loco prima vice A. 1672.

(f) *Ps. CIV. 4.*

g) *Hebr. I. 14.*

(h) *Porismate III.*

(i) *Act. XXIII. 8.*

(k) *Pneum. L. 2. c. 1. §. 8. sq. p. m. 101. seq.* Ad cuius sentent. è Reformatis *Burmannus in* Synops. *Theol. l. 1. c. 45. §. 9. p. 352. edit. Geneuensis A. 1678. accedit.*

(l) *Vid. Beza in Notis ad Act. Apost. p. m. 555.*

(m) *Vid. B. Schertz Syst. Loc. IV. §. IV. in Error. p. m 96.*

(n) *Vid. Magnif. Dn. D. Ittigius Patronus atque Praeceptor noster aeternum colendus de Haeres. Sect. 1. c. 1. p. 22.*

(o) *Vid. Chemnitius LL. CC. P. I. p. 322. Conf. B. Strauch. Breu. Theol. L. 5. Defin. 41. p. m. 109.*

(p) *c. l. p. 102.*

(q) *Caluinus contra Libertinos c. 11. & 12. & Hoornbeek. Summ. Controuers. p. 417.*

(r) *Calou. Tom. IV. Syst. p. m. 18.*

(s) *Vid. Burm. l. c. p. 352.*

(t) *Vid. Leuiathan c. 34. 38. 44.*

(u) *Vid. B. Calou. l. c. p. 18.*

(x) *Gen. I. seqq.*

(y) *Col. I. 16.*

PORISMA II.

Angelorum alii boni sunt, alii mali.

Angelos in duplici considerandos habemus statu, *partim* in statu originali, *partim* in statu originalem subsecuto. In isto, nempe originali, omnes aequales agnoscimus, sanctos, bonos, iustos a DEO creatos: *vidit enim DEVS omnia quae fecerat, & ecce erant omnia valde bona*; (*a*) & cum Deus sit ens optimum, non nisi bonum ab illo proficisci potest. In statu vero originalem subsecuto, in bonos atque malos dispescuntur. Et horum

& illo-

& illorum ſatis luculentam mentionem Paulus in noſtro Textu iniicit. De *Satana* enim dum loquitur, Angelos malos dari ſimul indigitat; quemadmodum econtrario *Angelum lucis* nominans, bonos Angelos ſimul deſcribit. Dicuntur vero *BONI ANGELI* non tantum propter bonitatem concreatam, ſed etiam, & quidem primario, quoniam in bonitate iſta perſtiterunt, atq; in ea a ſummo Numine, non quidem per abſolutũ aliquod decretum, prout nonnullis *Reformatorum* (*b*) videtur, neque interueniente quodam merito, ſiue proprio, vti *Pontificii quidam* (*c*) aſſerunt; ſiue alieno, nimirum CHRISTI Redemtoris noſtri, ceu *Pontificii plurimi* (*d*) imo & *Reformati nonnulli* (*e*) atque *Sociniani quidam* (*f*) ſibi perſuadent, ſed ex ſola & mera gratia adeo confirmati, vt ea excidere nunquam poſſint. *Semper enim* (διὰ παντὸς) *vident faciẽ Patris coeleſtis* (*g*), *ſemper faciunt voluntatem eius*; (*h*) quapropter etiam *Paulus falſam Praedicationem iisdem per hypotheſin impoſſibilem tribuit.* (*i*) Quod opponimus iis, qui Angelos bonos labi poſſe ſtatuunt. Quos inter eſt *Origenes*, (*k*) qui virtutes de ſublimioribus ſubinde corruere opinatus eſt; *Grotius*, (*l*) qui id pro ἀδυνάτῳ non habet, vt boni Angeli fallant & aliud Euangelium annuncient, aliique Arminiani, (*m*) qui licet confirmationem bonorum Angelorum non diſerte negent, difficulter tamen e ſcriptura ſacra eam probari poſſe, docent. Obiiciunt equidem: quicquid eſt praemium illud eſt reiicibile. Atqui Indefectibilitas ſeu Confirmatio Angelorum eſt praemium. Ergo. Sed reſpondeo partim indirecte per inſtantiam: Atqui vita aeterna quoque eſt praemium. Anne vero illa eſt reiicibilis? Partim directe limitando maiorem: Quicquid eſt praemium a Deo ad tempus ſaltem aliquod conceſſum, illud eſt reiicibile. Sic conceſſa maiore nego minorem. Deus enim praemium confirmationis Angelis eo fine conceſſit, vt in aeternũ illo fruerentur.

MALI ANGELI vero dicuntur, *qui non seruarunt; sed* (sponte) *dereliquerunt Domicilium suum*, (*n*) vnde etiam ἁμαρτήσαντες (*o*) atque *qui in veritate*, i. e. in vera sanctitate & sapientia *non steterunt*, (*p*) vocantur. Hinc videre est, quantum errorem foueant, qui Angelos malos in gratia non creatos esse, adeoque ea non excidisse autumant. Fecerunt hoc iam olim *Manichaei* (*q*) atque *Scholastici* quidam, (*r*) qui Angelos malos ab initio suae existentiae malos semper fuisse statuerunt. Faciunt & *Judaei moderni*, qui fingunt Diabolos ortum habere per generationem ex Adamo & לילית vxore eius priore, quã matrem daemonum & spirituum malignorum vocant. (*s*) Quemadmodum & illi *Reformatorum* non plane excusari possunt, qui Daemones ex absoluto Dei decreto peccasse asserunt. (*t*) Patrocinari quidem iisdem primo videntur verba Saluatoris, quibus Diabolum *ab initio peccasse dicit* (*u*); quemadmodum etiam ad illum locum scripturae prouocare solent, in quibus de Angelis siue nunciis Dei dicitur, *quod in illis Deus stultitiam reperiat*. (*x*) Respondemus vero quoad priorem locum cum *Maxime Reuerendo atque excellentiss. Dn. L. Günthero, Patrono, Praeceptore, hospite, imo in Christo Patre aeternum venerando*, (*y*) Saluatori optimo in eo nõ de initio Creationis, sed de initio tantũmodo ordinis sermonem esse, quasi dicat, Satanã esse omniũ peccatorum primum; in posteriori vero stultitiã idem significare ac non tantam sapientiam sensumque esse, DEVM non tantam sapientiam, quantam quidem ipse possideat, in nunciis inuenire. (*z*)

(a) *Gen. I. 31.*

(b) *Vt Bucanus, Pareus, Rauanellus, citati a B. Calouio l. c p. 71.* Quibus adiungas *Piscatorem*, qui im ausführlichen Bericht von den Haupt-Stücken Christlicher Lehre p. 18. scribit: Es ist gewiß / daß GOtt von Ewigkeit beschlossen hat / etliche Engel und etliche Menschen seelig zumachen / etliche aber zu verdammen.

(c) *Vid. Scotum in III. Distinct. 5. qu. 2. Thom. P. I. qu. 62. art. 4.*

(d) Thomas, Scotus, Bonauentura, Durandus, Bellarminus, Suarez, Becanus, Gamachaeus, citt. a *B. Scherzero Syst. Loc. XVIII. §. X. in Erroribus p. m 502.* Quibus addimus *Philippum Diez Tom. II. Concion. p. 201. Gregorium de Valentia Lib. de Christo Tom. II. p. 164. Blasium de Viega in cap. I. Apocal. p. 24.*

(e) Polanus, Bucanus, Becmannus, citante modo laudato *Scherzero* d. l. Adde *Lud. Capellum in Synt. Salmur. Disp. P. II. p. 190. Wendel. L. I. c. 3. T. C. th. 5. p. 26.*

(f) *Vid. Eniedinus p. 350. & p. 352.*

(g) *Matth. XVIII. 10.*

(h) *Matth. VI. 10.*

(i) Gal. I. 8.

(k) *Homil. XIII. in Lucam.* Sic & *Ludouicus Viues in Augustin. de C. D. L. 21. c. 17. p. 989.* tradit, Origenem ex sanctis Angelis procedente tempore diabolos fecisse.

(l) *Ad Gal. I. 8.*

(m) *Arminius Responsion ad Artic. XXXI. Opp. f. 130. Arminianorum Apologia c. 6. p. 147. & Episcopius L. 4. Institut. Sect. 3. c. 2. fol. 349.*

(n) *Jud. v. 6.*

(o) *2. Pet. II. 4.*

(p) *Joh. VIII. 44.*

(q) *Vid. Concil. Braccariens. Canon. VII apud B. Cromayer. Theol. pos. art. 4. th. 15. p. 229. Euseb. H. E. Lib. VII. c. 27. Augustin. L X. de Civ. DEI. C. XI. & de Haeres. c. 46.*

(r) *Vid. Scotus in 2. distinct. 1. qu. I. Alexander Alesius in Summ. part. 2. quaest. 19. Becanus c. 2 qu. 2. aliique.*

(s) Vid. *Menasse Ben Israël de Creatione apud Centuriatores, Centur. IV. c. 4* Conf. *Buxtorff. in Synag. Jud. c. 4. p. 81. & 85. & Hoornbeek de conuincendis Judaeis p. 304.*

(t) *Vid. Wendelin. Collat. Doctr. p. 109.* & *Salmurienses Syntagm. P. II. p. 125.* citatos *a B. Strauch. Breu. Theol. defin. 44. p. 119.*

(u) *Joh. VIII. 44.*

(x) *Job. IV. 18.*

(y) *In Praelectionibus Theologicis, Thetico-Polemicis MSC. Th. X. de Angelis.*

(z) *Conf. B. Sebast. Schmidium Comm. in hunc Jobi locum p. m. 152*

PORISMA III.

Dantur Angelorum apparitiones.

ANgelos incorporeos esse, superius (*a*) a nobis prolixe demonstratum est. Quandoque tamen eosdem in assumta specie corporea hominibus apparere posse, haud vana fide apud Christianos receptum est. Tametsi enim cum *Ludou. Lauatero* (*b*) fateri cogamur, quod non modo homines, qui vel natura, vel propter acceptas ingentes calamitates tristes sunt & Melancholici, (*c*) vel amentes, (*d*) vel qui vsum rationis penitus amiserunt, (*e*) vel meticulosi, (*f*) vel imbecilli visu & auditu praediti (*g*) sibi ipsis res mirandas imaginentur, & interdum sancte affirment, se haec vel illa audire & videre, quae tamen neq; ipsi neq; alii vel vident, vel audiunt; sed quod callidi etiam ac malitiosi homines, quos ambitio, auaritia, inuidia, odium, pertinacia, otium & amor transuersos abripiunt, (*h*) aliis terrorem saepissime iniicere conentur; quod multa quoque ex naturalium causarum nexu oriantur, quae minus sagaces, lenti, albisque, quod aiunt, praecordiis praediti, sine sontica causa altioribus causis, adeoque ipsis spiritibus deputent; (*i*) non tamen omnia, quae hominibus apparent, esse res naturales aut vana terriculamenta, sed quaedam spiritibus certo quodam corpore assumto apparentibus tribuenda, firmissime nobis persuasum habemus. Testatur id Paulus nostro in Textu, vbi de transfiguratione Satanae in speciem qua boni Angeli alias comparere solent, loquitur. Testantur tot apparitionum exempla in ipsa etiam scriptura sacra nobis obuia (*k*); testantur ipsi Saluatoris discipuli Magistrum sibi apparentem pro spiritu apparente habentes, nunquam ideo ab eodem reprehensi (*l*); testantur Christianorum plurimorum, veterum (*m*) pariter, atque recenti-

centiorum, (*n*) quin & ipſorum paganorum (*o*) aſſenſus. Nihilominus tamen nonnulli eas negare non erubeſcunt. Non Democritum, Auerroen, atque Epicureorum ſcholam (*p*) audire neceſſum habemus: adſunt enim recentiores, qui eandem cum iisdem fouent ſententiam. Vnum inſtar omnium, ſatis notum, Theologum Amſtelodamenſem *D. Balthaſarem Bekkerum* nominaſſe ſufficiat, quem non vna vice hoc feciſſe legimus. Fundamentum hypotheſeos eiusdem iſtud eſt, quod ſpiritum in corpus agere poſſe neget, idque, vt duo ſaltim eiusdem argumenta adducamus, *partim* ex ea ratione, quod daemon ſpiritus tam impotens ſit, vt ordinem naturae inuiſibilis perturbare nequeat; (*q*) *partim* etiam, quoniam, ſi hoc faceret, a veritate aberrare videantur Saluatoris verba ſpiritibus carnem & oſſa expreſſe denegantia. (*r*) *Sed reſpondeo*, quoad prius, naturae ordinem neutiquam turbari, ſi vel maxime res aliqua natura ſua inuiſibilis in ſpecie aliqua viſibili ſe repraeſentet; ni velimus dicere, λόγον quoque ordinem naturae inuiſibilis turbaſſe, dum ipſe tempore V. T. in corpore aliquo aſſumto ſeſe hominibus conſpiciendum praebuit. *Bekkerus* equidem diabolo peritiam qua iſtud efficere poſſit, denegare nititur; (*s*) ſed daemones per lapſum dona ſaltem gratiae amiſiſſe non ſimul dona naturalia, qualia ſunt, ſcientia rerum naturalium, potentia res ſtupendas efficiendi &c. communis noſtratium Theologorum eſt ſententia. (*t*) Jam vero cum daemones inſigni, longeque maiori rerum phyſicarum notitia quam quidem homines praeditos eſſe ſciamus; (*u*) cur quaeſo negaremus, eosdem corpus quoddam, ſiue *phantaſticum*, quale fuit larua Samuelis demortui a Pythoniſſa vi artis magicae producta, (*x*) ſiue *verum*, quale eſt v. g. ſerpentis in Africa, quod daemon ſubire, & in eodem varias actiones edere traditur, (*y*) aſſumere poſſe? *Ad poſterius* vero, quod hac ratione falſitatis Chriſti verba forent accuſanda, reſpondeo, aliud eſſe, carnem & oſſa habere,

aliud ea assumere posse, illud saltem, non hoc a Saluatore negari, eius verba clarissime ostendere.

(a) *Sect. I. §. XIX.*

(b) *In Libro de spectris, Lemuribus & magnis atque insolitis fragoribus Geneu. 1575. 8uo. ed.*

(c) *Part. I. c. 2. p. 10. sqq.*

(d) *c. l. p. 13. sqq.*

(e) *p. 15. sqq.*

(f) *c. 3. p. 16. seqq.*

(g) *c. 4. p. 20. sqq.*

(h) *c 5. sqq. p. 26. sqq.* (i) *c 11. p. 60. sqq.*

(k) Ex his eminet apparitio Abrahamo facta, vbi filius DEI cum duobus Angelis in forma trium virorum ei apparuit *Gen. XVIII. 2.* atque ea, qua Lothus gauisus fuit, dum duo Angeli ex incendio Sodomitico eum eduxerunt. *Gen. XIX. 1. sqq.*

(l) *Matth. XIV. 26. Luc. XXIV. 39.*

(m) *Lauater. c. l. c. III. p. 76. sqq.*

(n) *Idem c. l. c. 15. p. 82. sqq.*

(o) *Idem c. 12. p. 65. sqq.*

(p) *Vid. Remigium L. 1. de daemonolatr. c. 28.*

(q) In der bezauberten Welt *L. 4. c. 2. § 12. p. m. 15. coll. L. 2. c. 34 §. 17. p. m. 249.*

(r) *l. c. L. 2. c. 32. §. 4. p. m. 228.*

(s) *c. l. L. 2. c. 33. §. 1. sqq. p. 235.*

(t) *Vid. Frommannus c. l. L. 3. part. 6. c. 14. p. 832.*

(u) *Vid. Wierus c. l. L. 1. c. 8. col. 47.*

(x) *2. Sam. XXVIII.*

(y) *Fromman. c. l. L. 1. part. 2. sect. 2. c. 5. §. 1. p. 164.*

PORISMA IV.

Angeli mali sunt DEI hominumque aduersarii.

HOc vel ex vnico nomine *Satanae* siue *Aduersarii*, quod in nostro textu Apostolus maligno spiritui tribuit, satis superque

perque patescit. Probant vero id adhuc aliae longe plurimae eiusdem denominationes. Vocatur *Diabolus* (*a*) a διαβάλλω, *calumnior, falso traiicio culpam in alium*, quia, secundum *Chrysostomum*, (*b*) *partim* DEVM incusat apud homines, quando videlicet diuinae misericordiae insidias struit, & ad desperationem homines sollicitat: *partim*, quia homines incusat apud DEVM, quando peccata, in quae eos praecipitauit, coram diuino iudicio exaggerat; *partim*, quoniam homines calumniatur inter se inuicem, quando vnius, scilicet eius, qui calumnias profert, linguam, & alterius, qui calumniis delectatur, aures occupat, atque hac ratione alicuius tertiae personae famam insuper laedit. Vocatur *Abaddon* (*c*) i. e. qui omnia perdit; vocatur πονηρὸς (*d*) seu malus ille κατ᾽ ἐξοχὴν, qui omne bonum DEI pariter atque hominum interuertere conatur. Inimicitia autem inter Satanam atque summum Numen statim ab illius lapsu originem duxit, qui ab eo tempore sanctissimae Dei voluntati omnibus viribus sese opposuit & adhuc opponit. Inprimis autem hostilem suum animum erga Filium DEI incarnatum exseruit, dum non modo eundem ad varia vitia allicere studuit, (*e*) sed vt ipse quoque diris cruciatibus, ac tandem morti truculentae traderetur, ex voto suo perfecit. (*f*) Quod iam in Paradiso DEVS illustri vaticinio indicauit, asserens: (*g*) *inimicitiam ponam inter te, (serpentem) & mulierem, & inter semen tuum & inter semen eius; hoc conculcabit tibi caput; tu autem laedes illud calcaneum.* Humani quoque generis est hostis Satanas: & hostis quidem *antiquissimus*, ἀνθρωποκτόνος ἀπ᾽ ἀρχῆς, homicida ab initio, (*h*) primus mortis conciliator atque Dominus; (*i*) *hostis iniquissimus*, id quod inter alia obsessiones tum spirituales, cuius generis fuit Judae Ischariotis, (*k*) tum corporales, quales non paucas historia Euangelica exhibet, (*l*) ostendunt; *hostis potentissimus*, qui in throno suo sedens (*m*) quam obsidet arcem, i. e. animam ordi-

nis

nis ac solatii vacuam (*n*) fortiter defendit; (*o*) *hostis virulentissimus*, plusquam Amalek (*p*) qui hominum inuidia ac odio ἀσπόνδῳ inflammatus, saeuire non cessat, & quo metae furoris sui propior, hoc ardentius furit; (*q*) *hostis vaferrimus*, ingenii panurgici profunditate, (*r*) μεθοδίας subtilitate, (*s*) qua castrum cordis humani circumambulat, scrutatur arcana, indolem, temperiem, occasiones ac circumstantias attendit, ponit pennas vt cogat in retia, iacit poma ἔριδος, spargit nuces, insensibili motu facinus admittit, ex ipso demum effectu deprehensum, coloribus peccata pingit, instillat ac intendit prauas cupiditates, ipsaque amara edulcorat. Prouidentiam DEI in dubium vocat, suam in rebus humanis agendis vim iactando. (*t*) Ab vno extremo in alterum praecipitat, Salomonem secundis, aduersis Jobum sollicitat; e paupertate diffidentiam, e fiducia praefidentiam; e lenociniis mundi apostasiam condit; facit e signis τεκμήρια & contra; cuniculis subruit, commeatum arcet, exarmat, prius vulnerat quam ictum animaduertas. (*u*) Ad summum *mendax ex proprio est & Pater mendacii* (*x*). Quibus epithetis tanquam viuis coloribus eundem Dannhauerus eleganter depingit. (*y*)

(a) *Apoc. XII. 9.*
(b) Citante *Frommanno c. l. L. 3. Part. 3. sect. 1. c. 1. §. 5. p. 489.*
(c) *Apoc. IX. 11.*
(d) *Matth. XIII. 19. coll. Marc. IV. 15. Luc. VIII. 12.*
(e) *Matth. IV. 1. sqq.*
(f) *Matth. XXVI. sq. Marc. XIV. sq. Luc. XXII. sq. Joh. XVIII. sq.*
(g) *Gen. III. 15.*
(h) *Joh. VIII. 44.*
(i) *Heb. II. 14.*
(k) *Joh. XIII. 27.*
(l) *Matth. IV. 24. VIII. 28. IX. 32. XII. 22. XVII. 14. 15. Marc. I, 26. V. 2. IX. 17. Luc. IV. 33. VIII. 36. XI. 26. XIII. 11. Joh. X. 21.*
(m) *Apoc. II. 13.*
(n) *Matth. XII. 43.*

(o) *Luc. XI. 21.*
(p) *Vid. Schikard. Jus Regium c. 5. theor. 16. p. m. 288, sqq.*
(q) *Apoc. XII. 12.*
(r) *Apoc. II. 24.*
(s) *Eph. V. 11.*
(t) *Luc. IV. 6.*
(u) *Vid Cyprian. Serm. de Zelo & liuore op. f. m. 221. Edit. Bremens. 1690.*
(x) *Joh. VIII. 44.*
(y) *In Hodos. phaen. 4. p. m. 399. sqq.*

PORISMA V.

Visiones, Apparitiones & immediatae Reuelationes neutiquam sunt expectandae, sed potius reiiciendae.

NOn sane, quod probe notandum, sermo mihi est de visionibus & apparitionibus V. T. cum DEVS adhuc multifariam & multis modis cum populo suo loqueretur, atque sic etiam ministerio Angelorum vteretur, quo de gratia & voluntate sua immediate eum certiorem redderet, prout exempla Abrahami (*a*) Lothi, (*b*) Manoae (*c*) aliorumque id satis superque probant, neque de visionibus sub initium N. T. cum Ecclesia adhuc plantanda esset, quo tempore Josepho (*d*) Mariae (*e*) Zachariae (*f*) Petro (*g*) & aliis Angelos apparuisse, eosdemque de voluntate diuina certos reddidisse, legimus; *sed* de iis, quae synagoga veteri iam sepulta, Ecclesiaque plantata euenire solent. At inter has etiam discrimen non leue venit obseruandum. *Aut* enim respiciunt fata quaedam & futuros euentus, v. g. cum DEVS nonnunquam *vel* hominem quendam pium de periculo immi-

nente commonefacit, in agone constitutum visione angelica reficit atque consolatur; *vel* integris ciuitatibus & Regionibus bella, famem, pestem, aliaque infortunia praedicit; *aut* dogmata quaedã fidei & morum concernunt. *Istas* tantum abest vt absolute improbemus, ac in vniuersum omnes pro illusionibus Sataniscis habeamus, vt potius easdem sacro codici non repugnare credamus. Valet enim hic loci consilium *B. Balduini*: (*h*) *si DEVS ipse siue per suggestiones internas, siue per APPARENTES VISIONES ANGELORVM SANCTORVM nos moneat & a periculis praeseruet, (quod interdum fieri non negamus) gratis animis paternam illam DEI curam pro nobis agnoscamus, & ministerio verbi sui obsequientiores simus. Nam qui DEVM timent, his beatos hosce monitores & custodes diuinitus esse additos, ex sacris literis certum est.* De *his* vero si quaeramus, quid statuendum? merito eas reiiciendas esse, respondemus, sententiam nostram sat firmis rationibus corroborantes.

Nam *primo* firmissimum contra visiones e textu nostro nectimus argumentum. Cum enim Satanas in Angelum lucis se transformare soleat, quis, quaeso, certus esse potest, vtrum Angelus apparens bonus vel malus fuerit? Et licet nonnulli ad varia signa, quibus boni spiritus a malis discerni possint, prouocare soleant, esse tamen ea omnia vel tantum negatiua, vel, si affirmatiua, tantum probabilia, satis recte a doctissimo *Voëtio* obseruatum est: (*i*) si nimirum Spiritus eiusmodi reuelatio aliqua in parte repugnet scripturae sacrae, aut etiam sibi ipsi, ita vt contradictione expressa aut implicita laboret, aut manifesto falsa, aut absurda, aut turpia & honestati naturali repugnantia in se contineat, tum firmissime, eam non a DEO, sed a diabolo profectam esse, dicere possum. Non vero vice versa, si Scripturis sacris concordet, & in aliis cum Angelo Lucis conueniat Spiritus, certo colligere licet, quod non a diabolo, sed a DEO sit. Nam & Spiritus mali dicunt saepissime bona per imitatio-

nem

nem, (*k*) non aliam ob cauſam, quam vt malis, quae alio tempore inculcant, eo maiorem fidem concilient; quod exempla hominum hoc modo deceptorum paſſim obuia, (*l*) & inprimis ipſorum Protoplaſtorum noſtrorum (*m*) ſatis teſtantur. Placet verba quaedam *B. Lutheri* (*n*) huc facientia afferre: Der weiſſe ſchöne Teuffel/ der die Leute zu geiſtlichen Sünden treibet/ welche man nicht für Sünde/ ſondern für eitel Gerechtigkeit hält/ der iſts/ der den gröſten Schaden thut/ gar vielmehr denn der ſchwartze Teuffel / welcher die Leute bloß zu den groben fleiſchlichen Sünden treibet/ die ſo grob ſind/ daß Sie auch die Welt vor Sünden erkennen kan. Et iterum: (*o*) Wenn der Satan nicht ſchwartz noch heßlich/ ſondern gantz weiß und ſchön daher geſchlichen kommt/ als wäre Er ein Engel/ ja GOtt ſelbſt / da kan Er erſt den Schalck ſo meiſterlich decken und bergen/ und in der Schalckheit ſich ſelbſt alſo übermeiſtern/ daß Er ſein tödliches peſtilentziſches Gifft für eitel Gnaden-Predigten/ für GOttes Wort/ und für das Evangelium JEſu Chriſti ausgiebt. Es wil der Teuffel kurtzrum nicht heßlich/ noch ſchwartz/ ſondern gantz rein/ ſauber und weiß ſeyn. Und daß Er dafür je möchte gehalten werden/ ſo wendet Er in allen ſeinen Worten und Wercken für/ wie es GOttes ſelbſt eigene Warheit Wort und Wercke ſeyn. Daher bey uns Deutſchen das Sprüchwort kommen iſt: in GOttes Nahmen hebt ſich alles Unglücke an. Et tandem: (*p*) Der gleiſſende Teuffel/ der ſich ſtellet als ein Engel GOttes/ greifft die Chriſtenheit an nicht mit leiblicher Verfolgung/ ſondern mit ihrem eigenen Harniſch und Waffen/ das iſt mit der Schrifft/ damit Sie ſich aller leiblichen Anfechtung wider Jhn erwehret/ dieſelbige kan Er ſo wunderlich und meiſterlich fürgeben und drehen / daß Er einen

bald irre macht / wenn Er nicht fleißich achtung darauf hat.

Secundo: DEVS in rebus fidei ac morum non ad reuelationes, ſed ad verbum ſuum nos remiſit, vtque ei vnice attenderemus, nobis ſerio iniunxit; id quod gemino, & quidem vno ex V. altero e N. T. tabulis deſumto teſtimonio probatum dare ſtudebo. *Primum* peto e Propheta *Eſaia*, (q) apud quem DEVS grauiter inquit: *quum autem dixerint ad vos: quaeſituri ite ad Pythones & ad diuinatores, qui musſitant, & tanquam arreptitii loquuntur: nonne populus ad DEVM ſuum quaeſiturus ibit? num pro viuis ad mortuos? Ad legem & ad teſtimonium. Si non dixerint iuxta verbum hoc: non erit illis aurora.* Quamuis autem in citatis verbis DEVS Iſraëlitis maledicere ſaltim videretur, ne ipſi ſi velint certi eſſe de futuris euentibus, abeant ad Pythones & diuinatores, ſed ad legem & teſtimonium, in quibus clare habeant, quid facere, quid omittere debeant, vt benedictos euentus exſpectare certo posſint; & doceantur, omnia mala ipſis obuentura, ſi non fecerint, quae ibidem praeſcribuntur: inde tamen colligere poſſumus, nobis quoque Chriſtianis, ſi certi eſſe velimus, de rebus quae ad fidem & mores pertinent, non ad viſiones, apparitiones & immediatas reuelationes, ſed ad DEI verbum vnice eſſe recurrendum. *Alterum* deſumimus e *Luca* (r) apud quem Abrahamus diuiti epuloni roganti vt Lazarum demortuum in mundum ad Fratres ſuos mittat, quo aeternos cruciatus, quos ipſe iam ſentiat, effugere diſcant, reſponſum dabat: *habent Moſen & Prophetas, eosdem audiant!* cumque precibus ſuis inſtaret epulo, urgebat Abrahamus: ſi Moſis & Prophetarum ſcriptis, quae verbum DEI αὐτόπιστον eſſe ipſi ſcire posſunt, non credunt, quomodo credent, ſi ſpiritus demortui cuiusdam, de quo incerti ſunt vtrum a DEO an vero a diabolo veniat, ad eosdem mitteretur?

Tertio

Tertio Visiones eiusmodi non sunt expectandae aut expetendae, cum omnia creditu, factu aut speratu necessaria in scriptura sacra luculenter satis exhibeantur. Constat hoc (1), quia Scriptura sacra expresse a *Dauide* תמימה seu perfecta (*s*) dicitur. Quod elogium illi minime tribui posset, si non omnia credenda, speranda & facienda suppeditaret. (2) quia Scriptura sacra *Canonis* titulo (*t*) condecoratur. Jam regulam oportet esse perfectam & adaequatam, alias regulae nomen neutiquam meretur. (3) quia scriptura S. omne consilium DEI de salute nostra proponit (*u*) (4.) quia *Paulus* (*x*) disertis verbis testatur, quod *scriptura diuinitus inspirata sit vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam quae est in Justitia, vt NB. perfectus sit homo DEI ad omne opus bonum perfecte instructus.*

Quarto colligimus: Spiritus apparentes *aut* aliquid nobis reuelant, quod cum scriptura sacra plane coincidit, ac in ea iam reperitur; *aut* aliquid referunt specie a scriptura S. diuersum. Si *prius*, quid opus habemus sole splendente lucem accendere? aut cum ferculis lautissimis abundat mensa, quid opus mantissis? (*y*) sin vero posterius, merito nobis in mentem vocamus grauissimum illud Apostoli dictum: (*z*) *si nos aut Angelus e Coelo euangelizet vobis praeter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto.*

Quamuis vero ex allatis rationibus luculenter satis constet, visiones, apparitiones ac immediatas reuelationes non esse expetendas, vt de rebus ad fidem ac mores spectantibus erudiamur, non defuerunt tamen a longo tempore, nec adhuc desunt visionistae, (vt de re barbara loquentibus termino barbaro vti liceat) qui earundem patrocinium suscipere non dubitant. Catalogum illorum qui nosse desiderat, eum ad *B. Pfeifferum* (*α*) & *Voetium*

um (β) ablegamus. Nos modo rationes, quibus ſententiam ſuam aliqui incruſtare volunt, paucis adhuc luſtrabimus.

(1.) Prouocant ad Codicis ſacri ſilentium, quod DEVS nullibi ſcripturarum viſiones, apparitiones ac reuelationes immediatas hominibus N. T. tempore viuentibus ſe denegaturum indicarit. Sed reſpondeo *primo:* poſito non conceſſo, quod DEVS nullibi in verbo ſuo talia hominibus ſub foedere nouo viuentibus ſe non conceſſurum ſignificarit, inde tamen non ſequitur: ergo talia homines ſibi promittere poſſunt. Nullibi in ſcriptura ſacra negatur Theocratiae, qualis apud populum Iſraëliticum obtinuit, tempore N. T. locum non futurum, quis inde colliget: ergo hodie adhuc Theocratia expetenda aut expectanda eſt. Igitur ab oeconomia V. T. ad oeconomiam N. T. non valet conſequentia. *Secundo,* licet non expreſſe DEVS in pandectis ſacris, vt ad talia attendamus, prohibuerit, ex iis tamen locis quae nos ad ſcripturam ſacram tanquam vnicam normam fidei ac morum ablegant, per firmam conſequentiam id inferri poteſt.

(2.) Ne ex ſolo ſcripturae ſilentio robur omne deſumſiſſe videantur, in eadem quae ſuam ſententiam diſerte confirment, ſe inueniſſe perſuaſum habent, & prae ceteris ad *Joëlis* (γ) Prophetiam, qua ſomnia, viſiones &c. promittit Jehouah, prouocare ſolent. Aſt hoc vaticinium tempore N. T. (δ) iam impletum eſſe, quis eſt qui neſcit?

(3.) Quod etiam neceſſariae omnino ſunt, probare ſatagunt, partim quod per illas difficiliora ſcripturae dicta, in Apocalypſi maxime occurrentia, clariora reddantur; partim quod peruerſorum peccatorum corda duriſſima ea ratione emolliantur. Sed reſpondeo, quod ad difficilia ſcripturae ſacrae dicta attinet, ea in duplici eſſe differentia. *Alia* enim articulum fidei concernunt; quae ſi vel maxime in vno aut altero ſcripturae S. loco paulo obſcurius propoſita videantur: ex alio tamen clariori lucem

cem suam mutuo petere possunt: *alia* vero futura Ecclesiae fata respiciunt, qualia sunt, quae in Apocalypsi Johannea proponuntur; in quorum sensum licet ante euentum non plene penetremus, nihil tamen inde saluti nostrae decedit. Ad malitiosos vero peccatores quod attinet, DEVS non per visiones, sed per verbū suum corda eorum emollire vult: illud enim est tonitru, (ε) ignis atque malleus petras percutiens; (ζ) & si isthoc corda eorum non conteruntur, multo minus visionibus mollia reddentur.

(a) *Gen. XVII. 14.* (b) *Gen. XIX. 15.* (c) *Jud. XIII. 3.*
(d) *Matth. I. 20.* (e) *Luc. I. 26.* (f) *Luc. I. 13.*
(g) *Act. XVI.* (h) *Theol. conscientiar. T. 1. p. 417.*
(i) *Select. Disp. Tom. II. Disp. 6 p. 1120. sqq.* (k) *Marc. I. Luc. IV.*
(l) *Vid. M. Ludou. Dunt. in Cas. Consc. qu. 3. p. 106. Balduin. Cas. consc. L. 3. c. 1. cas. 3. p. 416. B. Pfeiff. in Anti-Enthusiasmo p. 105. sqq.*
(m) *Gen. III.* (n) *Tom. II. Witteb. f. 21. b.* (o) *fol. 26. b.*
(p) *Ad C. IV. Matth. Tom. IV. Witteb. fol. 502. b.* (q) *c. VIII. 19. sq.*
(r) *c. XVI. 22. seq.*
(s) *Ps. XIX. 8.* Cuius vocis emphasin eleganter expositam lege apud *B. Dannh. Hodosoph. phaen. I. p. 70. sq.*
(t) *Ps. XIX. 5. coll. Rom. X. 18. Gal. VI. 6. Phil. III. 16.*
(u) *Act. XX. 21. XXVI. 22.* (x) *2. Tim. III. 16.*
(y) Vt cum *B. Dannh. in Hodosoph. phaen. 1. p. 71.* loquar.
(z) *Gal. I. 9.*
(α) *c. l. p. 106. sqq.* (β) *c. l. p. 1055. sqq.*
(γ) *C. II. v. 28.* Ad quem locum conferri meretur accurata B. D. Alberti Dissertatio pro Licentia A. 1668. habit.
(δ) *Act. II.* (ε) *Ps. LXVIII. 34.* (ζ) *Jer. XXIII. 29.*

PORISMA VI.

Hypocritae sunt Satanae Simiae.

DE Satana supra audiuimus, quod ad decipiendum mortale genus non cornua sua detecta gerat, sed iis integumentum aliquod superinducere soleat. Hypocritae vero dum idem facere tentant, cur eos non optimo iure Satanae Simias vocaremus,

Hy-

Hypocrita in Scriptura Sacra dicitur חנף (a) a radice חנף quod *maculare, foedum reddere* ſignificat; ſic vt hypocritae ſint homines in ſe immundi, qui tamen immunditiem doctrinae ſuae atque morum munditiei ſpecie tegunt. Si doctrinam nonnullorum atque externā oris confeſſionem ſpectes, cum doctrina Chriſti atq; confeſſione orthodoxae Eccleſiae exacte congruere videntur, cum tamen, ſi paulo curatius in eius interiora inquiras, e diametro illis oppoſitas deprehenderis. Sic *Hypothetici* cum *Amyraldo* & *Dallaeo* fatentur: Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, vt omnes per eum ſaluentur, *ſi credant*. Si autem quaeras: cur non omnes credant? in antiquum de abſoluto quodam DEI decreto errorem relabentes reſpondent: quia DEVS non omnibus fidem dare vult. Quapropter etiam ipſe *Spanhemius* (b) hanc doctrinam vocat *abſurdam, fruſtraneam, illuſoriam, contradictoriam, inſipidam, phantaſticam, euanidam, inutilem, inanem, inconſtantem, hiſtrionicam, ludificatoriam*. Si in aliis vitam examinare velis externam, non facile taxandum quid in eadem reperies. Cum tamen ſub ſanctitatis larua non raro horrenda ſcelera lateant; Quales homines Poëta vetuſtisſimus *Iuuenalis* intelligit dum canit: (c)

Qui curios ſimulant & bacchanalia viuunt.

DEO appropinquāt ore, cor vero illorū procul ab eo eſt; (d) longas preces praetendūt & ſub hoc praetextu viduarum domus deuorant; (e) Eleemoſynas jactitant, non ex animo ſincero, ſed quo tantummodo aliorum oculos in ſe vertant; (f) mellita verba dant, & ſub iisdem alterius interitum quaerunt; (g) nomen habere volunt quod viuant, cum tamen reuera mortui ſint dicendi. (h) Vt alios eorundem *μετασχηματισμοὺς* in ſcriptura pasſim obuios taceamus; quibus grauis in ſcriptura denunciatur poena, quod nempe DEVS in locum illos conicere velit, *vbi vlulatus & ſtridor dentium* erit. (i)

(a) *Job. XIII. 26.* (b) *Vid. B. Quenſtedt. Syſt. c. 3. memb. 3. ſect. 2. f. m. 318. b.* (c) *Sat. 2.* (d) *Jeſ. XXIX. 13.* (e) *Matth. XXIII. 14.* (f) *Matth. VI. 1. 2. 3.* (g) *Matth. XXII. 16.* (h) *Apoc. III. 1.* (i) *Matth. XXIV. 51.*

EPILOGVS.

ET haec ſunt quae Tibi, Beneuole Lector, *circa diem Angelis ſacrum* de Angelis dare volui. Potuiſſem equidem plura adhuc poriſmata, quae e textu fluunt, adductis ſuperaddere v. g. *grauiſſime errare qui diabolum adorant: peierationes per diabolum eſſe deteſtandas: fugienda eſſe opera tenebrarum ne Angeli Lucis a nobis recedant. &c.* Sed cum temporis chartaeq; anguſtia excludar, hic ſubſiſto, atque DEO vnico Angelorum Domino pro viribus conceſſis laudes ago ſempiternas.

AD

VIRUM PLURIMUM REVERENDUM
AC PRAECLARISSIMUM,

DOMINUM
DAVIDEM SCHOLTZIUM,

PASTOREM AC SENIOREM STROPPENSIUM
LONGE MERITISSIMUM,
FAUTOREM ET AMICUM SUUM
HONORATISSIMUM,

D. IOHANNES SCHMIDIUS.



Um Filius tuus lectissimus ex Alma nostra abitum paret, atque ad patrios lares propediẽ reuerti meditetur, debitis eundem laudibus prosequi, & quam insigni industria, quam commodo ordine, ac quam felici successu studia sua apud nos tractarit, apud te depraedicare deberem. Sed egregia, quae ipse in lucem edidit, specimina me hoc labore subleuant, eidemque optimae commendationis loco esse possunt. Siquidem ante duos fere annos eruditum de vestium albarum usu *meletema conscripsit, atque illud coram frequenti auditorio cum laude propugnans album apud bonos quosque calculum promeritus fuit. Cui disquisitioni duabus abhinc septimanis aliam, eamque non minus eruditam de* Eruditis sine moribus, *adiunxit, illamque in superiori Philosophorum Cathedra cum applausu Auditorum defendit. Quibus dissertationibus vti laudabiles, quas in historiarum studio fecit, progressiones, sat abunde demonstrauit: Ita quam praeclaros in sacro studio sibi compararit profectus, luculenter admodum in praesenti disquisitione, proprio Marte elaborata, omnibus probauit. Nihil itaque mihi iam superesse video, quam vt Tibi, Vir plurimum Reuerende, de optimae frugis Filio* ὁλοψύχως *gratuler ac supremum Numen pro tua pariter atque Filii salute indefessis precibus fatigem. Deus vos seruet ac omni bonorum genere perfundat!*

TE canam, *Scholtzi*, Tua namque virtus
Per mihi plures bene nota menſes,
Et pii mores, vigilesque poſcunt
Carmina noctes.

Carmina exacto recinenda plectro:
Moribus ſeu Tu *minus expolitos*
Increpas *Doctos*: Stygiiue ſeu Tu
Daemonis aſtum

Nuntii Lucis ſimulantis ora
Pandis, & magni ſobolem Parentis
Te facis dignam, geminoque vires
indice prodis.

Lipſia vt nuper Tua dona, Mater,
Filiis Mater viduata nunquam
Senſerat: *Si quod Pretium eſt Labori*
Hoc mihi caput,

Dixit, *intacto redimite Lauro!*
Scilicet dudum, velut arbor, aevo
Creuit occulto Tua fama, *Scholzi*,
Parta Labore.

Nunc vbi dignis remeas onuſtus
Laudibus, Fines Patriae reviſens;
Vt viam, reſtat, mea Muſa tecum
Ingrediatur.

I! vocat quo Te pia cura Patris!
Quo vocat Mater, Patriique Cives!
Cernis, vt iamiam Tibi Stroppa pronis
Obviet ulnis?

Vt Pater, cernis, lacrymis obortis
Sentio, clamet, *Reditus Laborum?*
Sentio noſtram rediiſſe Prolem
Signa per iſta!

Au-

PATRIAE PATRIBVS
OPTIMIS MAXIMIS

PRINCIPIBVS AC DO-
MINIS SVIS

CLEMENTISSIMIS

HVNC

THEOLOGICVM LABOREM

RELIGIOSISSIMA

HVMILLIMI OBSEQVII

CONTESTATIONE,

OBSEQVIOSISSIMA

DEVOTISSIMAE MENTIS

VENERATIONE,

ARDEN-

ARDENTISSIMA

FELICISSIMI REGIMINIS

APPRECATIONE
OFFERT

CELSISSIMIS EORVM SERENI-TATIBVS

AB
HVMILLIMIS

PRECVM ET OBSEQVIORVM
SERVITIIS

M. FRIDERICVS ERNESTVS Scholtze.
OLSNA-SIL.

SERENISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS

DOMINO

CHRISTIANO VLRICO,

ACADEMIAE FRANCOFVRTENSIS

RECTORI,

MAGNIFICENTISSIMO

VT

VT ET

DOMINO

CAROLO

FRIDERICO,

DVCIBVS VVVRTEMBERGAE

TECCIAE, ET IN SILESIA OLSNAE,

COMITIBVS MONTISBELGARDI,

DYNASTIS HEIDENHEIMII,

STERNBERGAE ET MED-

ZIBORAE, ETC.

ETC. ETC.

PATR

Auguror si quid, mea Cura, *Scholtzi*,
Patria, vt tempus bene collocatum
Senserit; *Christipotis hic est agnos*
Pascere, dicet.
Interim Laudis memor usque cresce!
Interim nostri memor usque viue!
Disce: *Sudorem Pietate mixtum*
Praemia ferre.

Clare docto Disputationis huius eruditae Auctori, conterraneo suo, atque inquilino honoratissimo Venerandi parentis vota rite explenti, ita applaudere voluit

L. Johannes Günther/Diac. ad D. Nicol. & Collegiatus Collegii B. M. V.

CVm, quorum mores didicisse fideliter artes
Haut emolliuit, nuper, AMICE, dares;
Plaudite, dicebam, Doctori, culpa quod ipsum
Non damnat, mores quod fouet egregios:
Nam pietatis amor rerumque scientia praestans
Poma velut nitido condita vase latent.
An vero mentem fas est seruare priorem,
Dum quae laudaras vituperanda doces?
Nonne situ plenum iussisti ponere tegmen?
Nonne probata TIBI candida vestis erat?
Cur Satanam taxas, foedam mutare figuram
Qui studet ac vngues veste micante tegit?
Scilicet insidias nosti; magis iste renatis
Se blanda specie posse nocere putat.
Ergo suas sordes teneat deceptor auerni,
Quem nosse, obscoenis moribus esse, iuuat.
Sic transformati describens daemonis astum
Haut immutatus fers decus, ecce, nouum.

Hoc decore in Patriam reduci vertatur in albam
Veſtis, mi SCHOLZI, ceu merebare, precor:
Aſt ſic mutatus veteris veſtigia formae
Serues, & mihi ſis candidus ille, rogo.

Candido ſuo atque ſingulariter dilecto A-
mico honoris atque affectus conteſtandi
ergo candida mente ſcrib.

M. Gottfridus Boettnerus,
Frid. Lus.

SIccine iam *quartum* Cathedram conſcendis, *Amice*,
Cumque Viris doctis miſces doctiſſima verba,
Vt monſtres, quam ſis facundus, quantaque noris?
Res ita habet. Quis enim ſtudiorum neſcit Amator
Hic degens, quod *de veſte Antiquarius alba*
Primo; *hinc Philologus de ſollicitudine vana*;
Hiſtoricus nuper *de Doctis Moribus orbis*,
Diſſereres docte, defendere fortiter omne?
Iamnunc *Theiologus proponis Daemonis Aſtum*,
Quo ſaepe apparet coeleſtis vt Angelus Aulae:
Propterea gratans precor, ut quoque Laudis honore
Macteris tanto, quantum olim iure merebas!

Qualiaqualia haec
Praeſenti Diſſertationi doctisſimae, Civitatem
pariter atque Amicitiam, quae cum CLA-
RISSIMO eiusdem AVCTORE mihi inter-
cedit coniunctisſima, conteſtaturus ſubiun-
gere debui, volui

Johannes Opitius, Stroppa-Sil.
SS. Theol. Cultor.

